

scriptores apodemici tradant, ad tria tamen uerba haec mnemonica praeceptionum summa referri potest. Quae-
 rere debet peregrinans, h. e. sciscitari, diligenterque inqui-
 rere ea, quae scitu necessaria, quae scopo suo congrua,
 quae profutura uidentur. In tales saepe homines incidit, qui,
 difficiles parciq̄ue loquendo, non, nisi de omnibus interro-
 gati, notabilia indicant. Itaque multus in quaerendo ro-
 gandoque sit peregrinator, nec, ubi uenalem forte linguam
 suspicatur, largitionibus parcat, memor, pecuniam in tem-
 pore negligere, maximum esse quaestum. (a) Iudicare et-
 iam debet peregrinator prudens, h. e. perpendere omnia,
 examinare, et unum ab altero probe discernere. Neque
 enim uel obuia quaeque notare, suisque inferere commen-
 tariis, uel cunctis rebus perinde contemplandis, noscen-
 disue, diu multumque immorari debet peregrinans, sed
 discrimen habere et delectum. (b) Cauere denique debet
 peregrinator, h. e. caute agere, eaque prudenter euitare,
 quae nocere possunt, fructusque peregrinationis interclu-
 dere. Tanta plerumque peregrinantis est libertas, ut ean-
 dem facile in licentiam conuertere, immoderatoque affe-
 ctuum

(a) Quantam in rebus omnibus uim habeat pecunia, omnes omni
 tempore homines, tam dictis, quam factis, comproba-
 runt. Verissimum sane est Ebraeorum adagium **מי שנין**
לא יעמוד בשוק h. e. non habens pecunias, non
 stet in foro, uide plura in SCHICKARDO de iure regio
 cap. IV. theorem. XV. p. 279. edit. Carpzov. in notis ad
דמ. Hoc sibi inprimis dictum habeto prudens peregrina-
 tor, utpote qui, pecunia destitutus, uix ullo in loco standi,
 h. e. agendi proficiendique, copiam habebit.

(b) Si quicquam est, quod peregrinationi, feliciter instituendae, infer-
 uiat, iudicandi sane facultas est, non magis institutione, rerum-
 que civilium usu comparata, quam *εὐφύια*, seu naturali ad-
 iuta felicitate. Quapropter sensu communi, et naturali uale-
 re iudicio, magnum Dei beneficium merito dixit COMI-
 NAEVS lib. V. Hist. Gallic.